

todes, et guardiani, vi cujus ecclesias sibi subiectas quomodocumque violatas (etiam prius consecratas) reconciliare possunt, et quidem aqua per ipsosmet benedicta, quando episcopus distat duabus dietis (una dieta continet viginti milliaria Italica, iuxta Glossam in c. *Nonnulli*. 28, de *Rescript.* §. *Ultra duas dietas*. arg. L. III. de *Verb. signif.* quæ quatuor, vel quinque circiter Germanica efficiunt). Si vero duabus dietis non distat, aqua per episcopum benedicta, prout videre est in compendio Privilegiorum §. *Benedicere*, atque notat Roderiquez, loc. cit.; Barbosa, loc. cit.; Engel, h. t. n. 26; Sannig, h. t. cap. III. et alii. Addit Roderiquez, quem sequitur Barbosa, et aliis posse religiosos dicto privilegio reconciliandi ecclesias aqua per ipsosmet benedicta uti, non tantum quando Sedes episcopi ordinarii distat duabus dietis ab ecclesia polluta, sed etiam quando episcopus alias abest, aut interveniente morte, renuntiatione, aut depositione non existit. (ADNOTATIO XXXIII.)

28. *Si ecclesia non consecrata, sed tantum benedicta polluitur, potest et debet statim a sacerdote quavis communi aqua lustrali.* — Resp. V. Si polluitur ecclesia, quæ prius solemniter nunquam fuit consecrata, sed tantum simpliciter benedicta, aut sola auctoritate episcopi, vel alterius ad divinum cultum deputata, data licentia, quod in eadem divina celebrari valeant, tunc potest a quovis sacerdote simplici, nulla petita ab episcopo licentia, per aspersionem solius aquæ communis benedictæ, seu lustralis reconciliari denuo. Communis ac certa, textu claro c. fin. h. t. ibi: « Si ecclesia non consecrata fuerit, aqua protinus exorcizata lavetur. » Imo debet statim etiam irrequisito episcopo, a rectore ecclesiæ, vel alio sacerdote modo dicto mundari, ut cit. c. advertunt doctores, consideratione verbi *Protinus*. Ratio ibidem habetur, « Ne laudis divinæ organa suspendantur. » (ADNOTATIO XXXIV.)

29. *Cæmeterium consecratur, polluitur et reconciliatur eodem modo, quo ecclesia.* — Quæritur VII. Quid juris de consecratione, et pollutione cæmeterii, ac reconciliatione ejusdem? Resp. I. Cæmeterium eodem modo, et ab iisdem consecrari, pollui, ac reconciliari potest, et debet, quo ipsa ecclesia. Sylvester, §. *Cæmeterium*. q. 1; Pirhing, h. t. n. 30. cum communi, arg. c. *Consulisti*. 7. h. t. et c. un. h. t. in 6. Pate-

etiam ex Pontificali Romano, vi cujus eodem ritu consecratur ecclesia et cæmeterium, quamvis etiam separatim cæmeterium consecrari valeat, ac subinde soleat.

30. *Polluta ecclesia polluitur cæmeterium, sed non e contra.* — Resp. II. Illud specialiter advertendum, quod, « si ecclesiam pollui contingat, ipsius cæmeterium quoque, si contiguum sit eidem, censeatur esse pollutum; unde antequam reconciliatum fuerit, non debet in eo aliquis sepeliri; secus si remotum fuerit ab eo. Non sic quoque in casu converso sentimus, ut videlicet polluto cæmeterio quamvis ecclesiæ contiguo, debeat ecclesia reputari polluta, ne minus dignum, majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur. » sunt verba c. un. h. t. in 6.

§ II.

DE CONSECRATIONE, ET EXECRATIONE ALTARIS: UBI ETIAM DE CONSECRATIONE, ET BENEDICTIONE CALICIS, CAMPANE, VESTIUM, PARAMENTORUM, ET ORNAMENTORUM, AD ECCLESIAM, VEL MISSAM SPECTANTIUM.

31. *Altare aliud fixum, aliud portatile, seu mobile.* — Quæritur I. Quid juris de consecratione, et execratione altaris? An nempe, a quo, et quomodo consecrari possint, et valeant? Item quomodo execrentur, seu consecrationem amittant. Ante responsionem notandum, duplex esse altare, unum fixum, seu stabile, alterum mobile, seu portatile. Fixum est, quod alicui loco immobiliter affixum, constanter in eodem manet loco; cujusmodi altaria ordinarie sunt in ecclesiis. Mobile seu portatile est, quod pro commoditate vel necessitate sacerdotis, aut aliorum hinc inde moveri, et portari potest, ac solet: et propterea etiam altare viaticum pro commoditate scilicet viatoris, seu itinerantis vocatur, c. fin. de *Privileg.* in 6. Debet autem utrumque saltem in superiori parte esse lapideum, can. *Altaria*. 21. de *Consecrat.* dist. 1. ibi: « Altaria, si non fuerint lapidea, non consecrentur. »

32. *De jure communi solus episcopus consecrat altaria.* — Resp. I. Loquendo de jure communi solus episcopus altare consecrare potest, ac debet, ita ut alicui sacerdoti ordinem episcopalem non habenti, hanc potestatem committere non valeat. Communis ac certa ob clara jura can. *Quamvis*. 4. dist. 68. ibi: « Nec ecclesias, nec altaria conse-

crare licet presbyteris. » Concordat can. *Nullus*. 25. de *Consecrat.* dist. 1. Nec potest potestatem consecrandi altare alteri committere episcopus. Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* allegat. 27, n. 33; Azorius, p. I, cap. XXVII, q. 4. et communis aliorum. Ratio est, quia consecrare altare pertinet ad potestatem ordinis episcopalis, arg. can. *Quamvis*. 4. dist. 68, quam episcopus sacerdoti simplici committere non valeat, c. *Aqua*. 9. h. t. Potest autem episcopus in una missa plura altaria unius, non item diversæ ecclesiæ consecrare, c. *Cum sis*. 5. h. t. ibi: « Noveris, quod plura in una ecclesia, altaria simul poteris consecrare, » et ibi Abbas, n. 2. et doctores communiter. Quomodo autem, aut quo ritu consecratio altaris fieri debeat, vide in pontificali.

33. *Ex commissione, vel privilegio Papæ, etiam non episcopus.* — Resp. II. Ex privilegio, vel commissione Papæ etiam simplices sacerdotes consecrare possunt altaria. Azorius, loc. cit. q. 4; Barbosa, de *Offic. et potest. episc.* p. II, allegat. 27, n. 23, cum communi, probatur ex dictis n. 26. ubi diximus privilegio Papæ posse simplices sacerdotes reconciliare ecclesias pollutas. (ADNOTATIO XXXV.)

34. *Non tamen consuetudine, aut præscriptione.* — Resp. III. Nulla tamen consuetudine, aut præscriptione etiam immemoriali potest simplex sacerdos, vel alius ordinem episcopalem non habens, acquirere potestatem consecrandi altaria. Azorius, p. I, lib. X, cap. VII, q. 5, dicens esse unam omnium sententiam; Abbas, c. *Quanto*. 4. de *Consecrat.* n. 1; Barbosa, ac doctores communiter, arg. c. *Quanto*. 4. de *Consuetud.* Ratio est, quia, ut dicitur in *Summario*. cit. c. *Quanto*. de *Consuetud.*: « Consuetudo non potest operari, ut clericus episcopus possit exercere ea, quæ sunt reservata (seu annexa) ordini episcopali: » sive dein jure divino, sive humano pertineant ad potestatem ordinis episcopalis, ac cum communi aliorum bene observat Pirhing, de *Consuetud.* n. 90. arg. cit. c. *Quanto*. ubi reprobat consuetudo, vi cujus sacerdotes conferant confirmationem: cum tamen hanc conferendi potestas ex sola dispositione et lege ecclesiastica humana, et non divina pertineat ad ordinem episcopalem; hoc pro quod alias Papa eam clerico non episcopo conferre haud posset; prout tamen facit.

35. *Possessionis incapax non potest introducere consuetudinem aut præscriptionem.* — Dices, quæ sunt acquisibilia privilegio, sunt etiam acquisibilia consuetudine; atqui potestas consecrandi altaria potest acquiri privilegio, juxta dicta n. 33. ergo etiam consuetudine. Resp. majorem universaliter non procedere, et præcipue tunc non quando consuetudinem introducere volens, sine privilegio est incapax possessionis rite exercendi actus, quibus consuetudo introducitur; cum sine possessione non currat præscriptio, c. 3. de *Reg. jur.* in 6. et quod est nullum, nullum producat effectum c. *Illud*. de *Jurepatronat.* atqui clericus non episcopus sine privilegio est incapax rite exercendi actum reservatum soli ordini episcopali, arg. cit. c. *Quanto*. ergo. Et quamvis per privilegium fieri possit capax, nequit tamen id fieri consuetudine, uti citati doctores, et alii communiter observant ob dicta jura. Confirmatur a pari, quia ex eo, quod laicus sit incapax conferendi beneficium, nulla consuetudine etiam immemoriali potest capax fieri, aut acquirere potestatem illud conferendi; licet ex privilegio capax fieri, et potestatem illam acquirere possit: pariter licet simplex sacerdos per privilegium possit acquirere potestatem conferendi minores, ac confirmationem, non tamen potest eam acquirere consuetudine, c. *Quanto*. de *Consuetud.* quia est incapax possessionis, quæ incapax per solum privilegium, non vero per consuetudinem tolli potest. Vide etiam dicta, lib. I, tit. IV, de *Consuetud.* n. 81, et seqq. Hinc caute legendus, et minime sequendus est Engel, h. t. n. 9. cum Laurent. de Franch. p. II, q. 28, n. 3, qui contra communem, et torrentem doctorum, atque ipsa jura docere videtur, posse consuetudine acquiri potestatem exercendi ea, quæ sunt ordinis episcopalis.

36. *Execrari et pollui altare sunt diversa, et polluta ecclesia polluantur altaria ejusdem.* — Quæritur II. Quibus modus polluat, et execretur altare, ita ut nova consecratione indigeat? Et an polluta, vel execrata ecclesia, etiam execretur, et polluat altare, ac e contra? Ante responsionem nota, aliud esse *pollui*, aliud *execrari* ecclesiam, vel altare. *Pollui* enim dicitur, si fit unus ex casibus supra n. 15 allegatis; *execrari* vero, seu consecrationem sine pollutione amittere dicitur, quando sine aliquo ex dictis casibus consecrationem ex eo amittit, quia comburitur

exuritur, vel confringitur altare. Resp. I. Si polluitur ecclesia, polluuntur etiam omnia altaria in ea fixa; idque eodem modo, quo polluitur ecclesia, ita ut ante reconciliationem in tali altari missa celebrari non valeat. Miranda, in *Manual.* tom. II, q. 39, a. 7; Abbas, in c. 4, h. t. n. 10; Sylvester, *ŷ. Altare.* q. 11; Pirhing, h. t. n. 28, cum communi. Ratio est, quia si pollutio in ecclesia fit, totam ecclesiam afficit, adeoque etiam in ea posita, et contenta altaria, utpote unum corpus cum ecclesia efficientia; unde etiam per reconciliationem ecclesie pollutæ, reconciliata censentur altaria ibidem fixa?

37 et 38. *Altare execratur, si confringitur lapis, aut amovetur superior tabula.* — Resp. II. Altare tam fixum, quam mobile execratur, sive consecrationem amittit, ita ut nova consecratione indigeat. I. Si mensa superior, seu lapis superpositus, qui sigillum continet, seu lapis ipse altaris portatilis enormiter, seu notabiliter, ei ita frangatur, aut diminuatur, ut calix cum patena secundum majorem sui partem in eo stare non amplius queat. Omnes; textus expressus habetur c. 4. h. t. ibi: « Si lapis, qui sigillum continet, confractus, aut etiam diminutus fuerit, debet denuo consecrari, » et c. 3. eod. Dicitur autem notabiliter, « enormiter, seu notabiliter; » quia si modice, aut ita solum confringatur lapis, ut calix cum patena secundum majorem sui partem stare in eo commode adhuc possit, prout fit, si partes in cornibus tantum, vel ipsa cornua confringantur, aut minuantur, non execratur altare; et multo minus, si in altari portatili lignum solummodo, cui lapis inclusus est, frangatur, aut omnino a lapide separetur. Abbas, in c. *Ligneis.* 6, h. t. n. 1. et in c. 1. h. t. n. 3; Sylvester, *ŷ. Altare.* q. 9; Pirhing, h. t. n. 24, arg. cit. c. 3. h. t. ibi: « Si enormiter fracta fuerit, » et c. *Ligneis.* 6. eod. ibi: « Si tabula altaris enormiter læsa non fuerit, nec altare debet denuo consecrari. » In dubio autem, an enormiter sit fractum, relinquatur iudicio episcopi. Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 27, n. 26, et alii.

II. Execratur altare fixum, seu immobile, quando lapis, seu mensa superior consecrata amovetur ab inferiori structura, seu basi, cui est affixum, vel a columnis, quibus innititur. Barbosa, loc. cit. cum communi, claris juribus c. 4 et 3. h. t. ibi: « Altare,

in quo tabula, cui consecrationis benedictio adhibetur, si mota fuerit, debet non immerito consecrari. » Concordat c. *Ligneis.* 6. eod. et can. *Si motum.* 19. *de Consecrat.* dist. 1. et ibi Glossa, *ŷ. Altare,* ubi etiam rationem addit, videlicet, quia consecratio altaris fixi censetur esse in conjunctione mensæ, lapidis nempe, seu tabulæ superioris, ac inferioris structuræ; hinc si lapis, vel tabula superior removetur ab inferiori, vel ab ipsa lapides eandem immediate tangentes, censetur execrari: non item si alii lapides inferiores lapidem vel tabulam superiorem principaliter consecratam, immediate non tangentes amoveantur, et alii substituuntur, altari in debita altitudine adhuc remanente; etsi successive omnes lapides taliter inferiores auferantur, ut habet ibidem Gloss. marg. Pariter non execratur, si superior tabula non est immobiliter affixa structuræ inferiori, sed commode de loco ad locum una cum sepulcro transferri potest. Sylvester, *ŷ. Altare.* q. 10. et alii. Ratio est, quia tunc induit naturam altaris portatilis. (ADNOTATIO XXXVI.)

39. *Non item si solum sepulcrum. Sigillum et sepulcrum altaris, quid?* — III. Secundum aliquos, ut Barbosa, loc. cit. n. 25; Sylvestrum, *ŷ. Altare.* q. 4; Azorius, p. 1, lib. X, cap. xxvii, q. 8, testantes de communi, execratur altare, si frangitur, aut removetur sepulcrum altaris (id est locus ille, in quo sacræ reliquiæ continentur. Sylvester, loc. cit.) aut sigillum, id est, parvulus ille lapis, quo sepulcrum clauditur et tegitur. Sylvester, loc. cit. arg. c. 4. h. t. ibi: « Si lapis, qui sigillum continet, frangatur, » et can. *Placuit.* 26. *de Consecrat.* Ratio est, quia secundum ipsos reliquiæ aliquæ sanctorum sunt de substantia consecrationis altaris, arg. cit. can. *Placuit.* ubi Summarium sic habet, « evertantur altaria, quæ sine sanctorum reliquiis exiguntur. »

40. *Reliquiæ sanctorum non sunt necessaria ad consecrationem altaris.* — Verum Layman, lib. V, tract. V, cap. vi, n. 9. citans Coëninck, Soto, et Suarez, Pirhing, h. t. n. 26. et alii non improbabiler sustinent, hoc casu non execrari altare, eo quod juxta ipsos reliquiæ aliquæ sanctorum necessario non requirantur ad consecrationem altaris; cum id nullo jure probari valeat; nam can. *Placuit.* citatus ab adversariis nihil convincit, utpote per quem solummodo superstitiones, ac incertorum martyrum, aut reli-

quiarum erectæ memoriæ, et cultus prohibentur, non autem necessitas reliquiarum verarum statuitur, ut legenti textum patet, quidquid dicat Summarium. Nec aliquid in contrarium facit c. 4. h. t. quia non dicitur ibidem, altari execrari, si frangitur sigillum, sed si lapis sigillum continens frangatur. Et licet ex hoc c. eruatur, fieri altaria cum sigillo sepulcri, et reliquiis, non tamen inde probatur, quod necessario adesse debeant, cum bene pro devotione majori consuetudo ecclesie illuc easdem ponat. Unde habetur in antiquis rubricis missalis, quod si in aliquo altari reliquiæ non habeantur, omitti in Missa debeat illa oratio: Oramus te, Domine, per merita Sanctorum, quorum reliquiæ hic sunt. Quo satis innuitur dari posse altaria sine reliquiis Sanctorum. Hinc infert Layman, loc. cit. quod si certæ reliquiæ commode haberi non possint, absque his altare consecrari omnino possit, præsertim hoc tempore; ubi tanta copia certarum reliquiarum non habetur. Quamvis fateatur ibidem, quod si commode haberi valeant, episcopi sanctam ecclesie consuetudinem servare, et in consecratione altaris, reliquias Sanctorum, sepulcro altaris immittere, atque sigillo præfato claudere debeant, præsertim, cum communissima teneat, id saltem esse de præcepto, si non de substantia. (ADNOTATIO XXXVII.)

41. *Per execrationem altaris, non execratur ecclesia, nec e contra.* — Resp. III. Etsi per pollutionem ecclesie polluat altare in eadem fixum, et e contra per dicta n. 38. tamen per execrationem altaris non execratur ecclesia, nec e contra, c. 4. h. t. ibi: « Propter hoc (quod ob execrationem altaris, illud denuo consecratur) nequaquam reiterare suam consecrationem ecclesia consuevit, » et ibi Abbas, n. 4. ac doctores communiter. Ratio est, quia consecratio ecclesie potissime consistit in parietibus, et potest esse separata a consecratione altaris: unde bene contingere potest, ut altare execretur, v. g. per fractionem superioris tabulæ, et tamen consecrata maneat ecclesia: ac e contra hæc execretur, combustis, vel destructis parietibus, et tamen consecratum maneat altare, uti bene advertit Abbas, in c. 4. h. t. n. 10.

42. *Calix a solo episcopo benedici potest.* — Quæritur III. Quid juris de consecratione, et execratione calicis, patenæ, et campanarum? Resp. I. Loquendo de jure consecratio

calicis, et patenæ ad solum episcopum spectat. Barbosa, loc. cit. allegat. 27, n. 35; Azorius, p. 1, lib. X, cap. xxviii, q. 1; Engel, h. t. n. 9; Roderiquez, tom. I, q. 19. a. 1; Pelliz. tom. I, tract. VIII, cap. v, n. 102, et communis, arg. c. *Abbat.* et ibi Glossa, *ŷ. Tonsuram. de Privileg.* in 6. Ratio est, quia ubi in consecratione intervenit unctio, uti in his, arg. c. un. *de Sacra unct.* Consecratio est ordinis episcopalis, juxta communem: et quoniam ad potestatem ordinis episcopalis pertinet, eam episcopum sacerdoti non episcopo committere non potest per dicta n. 3. arg. c. *Aqua.* 9. h. t. Nec valet aliquis eandem potestatem consuetudine aut præscriptione acquirere, per dicta n. 34.

43. *Non item ab abbate aliquo.* — Infertur, quod nec abbates, nec alii prælati regulares, calices, et patenas benedicendi potestatem de jure, vel consuetudine habeant: quamvis privilegio pontificio habere valeant, Glossa in c. *Abbat.* *de Privileg.* in 6. *ŷ. Tonsuram;* Sylvester, *ŷ. Benedictio.* n. 5. Et quidem tale privilegium habere ordinis Cisterciensis abbates non quidem omnes, sed primos quatuor pro tempore existentes, refert post alios Barbosa, *de Offic. et potest. episc.* allegat. 27, n. 36; Miranda, in *Manual. prælat.* tom. II, q. 41, a. 4, ubi tamen bene advertit hoc privilegio, alios abbates vel regulares per communicationem non gaudere ob specialem rationem in aliis non militantem. Notandum insuper, quod privilegium benedicendi calices et campanas fuerit abrogatum, ut constat ex declaratione sanctæ Congregationis sub Alexandro VI.

44. *Calix et patena, si franguntur, execrantur.* — Resp. II. Tam calix quam patena execrantur, et nova consecratione indigent, quando franguntur, destruuntur, aut notabiliter suam figuram perdunt. Barbosa, loc. cit. n. 37; Layman, lib. tract. V, cap. vi, n. 6; Engel, h. t. n. 5; Sylvester, *ŷ. Calix.* q. 2. qui tamen addunt, quod si calix tornatilis foret, non execretur, si cuppa a pede absque fractione separetur; tum quia forma ex prima operis destinatione mutabilis non censetur perire per mutationem illico reparabilem: tum quia in calice tornatili cuppa per se sola videtur consecrata, uti ex Suarez docet Layman, loc. cit. Secus est in aliis calicibus, qui amobilem pedem non habent; in his enim si pes separatur a